



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PACIENSIS IN CALIFORNIA INFERIORI MERIDIONALI** *PACIENSIS IN CALIFORNIA INFERIORI MERIDIONALI
VICARIATUS APOSTOLICUS AD GRADUM EVEHITUR DIOECESIS

Quandoquidem consilium fuit divinum ut Ecclesiae universae gubernacula tractaremus, nihil sane aut agere aut curare omittimus quod tum Ecclesiis ipsis tum etiam fidelibus utilitates pariat. Idcirco laetanter perspicientes Paciensem in California Inferiori Meridionali Vicariatum Apostolicum, Missionariorum Combonianorum Cordis Iesu propter commemorabilem operam pariterque Venerabilis Fratris Gilberti Valbuena Sánchez, Episcopi titulo Vazaritani Diddensis, huius Vicariatus Ordinarii loci, pastorem ob sollertiam duodecim per annos, feliciter magnum cepisse incrementum, peropportuno diiudicavimus hunc ipsum Vicariatum ad dioecesis dignitatem attollere. Quapropter ipso plurima prece postulante Episcopo, Conferentia Episcopali nationis Mexicanae consentiente, Congregatione comprobante pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide necnon Venerabili Fratrem Hieronymo Prigione, Archiepiscopo titulo Lauricensi, in Republica Mexicana Delegato Apostolico, ex sententiis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi pro Episcopis praepositorum, Nostrae auctoritatis usi plenitudine, *Paciensem in California Inferiori Meridionali* Vicariatum Apostolicum in dioecesis redigimus formam, servatis nempe eodem nomine iisdemque finibus quibus usque adhuc terminatur. Novae dioecesis episcopalis Sedes in urbe La Paz, Baja California Sur, erit, cathedram vero in templo B. M. V. dicato quod fideles « Nuestra Señora de la Paz » vocant, collocamus, factis iuribus debitis cathedralibus propriis. Erit exinde condita dioecesis Metropolitanae Ecclesiae Hermosillensi suffraganea ad iuris normam. Item Consultorum deligatur Collegium qui auxilio sint Episcopo ipsi. Mensam episcopalem constituent curiae emolumenta, fidelium collationes omniaque bona ad praesens ad eundem Vicariatum Apostolicum pertinentia. Ad seminarii dioecesanii directionem necnon ad sacrorum alumnorum institutionem quod attinet iuris canonici serventur leges, prae oculis habitis praeceptis a Congregatione pro Institutione Catholica statutis. Selecti autem seminarii alumni ac sacerdotes ad studia perficienda Romam ad Pontificium Collegium Messicanum mittantur. Simul autem ac novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso clerus eiusdem Vicariatus ad ipsam dioecesim ascriptus habeatur. Quoad constitutae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, Administratoris dioecesanii, sede vacante, electionem, fidelium iura ceteraque generis eiusdem, quae ius canonicum praescribit

adamussim serventur. Auctoritate pariter Nostra dioecesis noviter constitutae Venerabilem Fratrem Gilbertum Valbuena Sánchez confirmamus Episcopum et Pastorem eundemque ab Ecclesiae Vazaritanae Diddensis titulo expeditimus. Ad ea denique perficienda quae per has iussimus Litteras, Venerabilem Fratrem Hieronymum Prigione legamus, factis nempe facultatibus necessariis etiam subdelegandi quemvis virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re autem acta, documenta conficiantur atque sinceris exemplis ad Congregationem pro Episcopis cito mittantur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.

AGNELLUS Card. Rossi <i>Cardinalium Collegii Decanus</i>	BERNARDINUS Card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	--

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXX (1988), n. 9, pp. 1092-1094

© Copyright 1988- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana